

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 10. Omnia ad Deum referenda esse purâ intentione

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

nihil tamen verè est prèter illud unum , quæd quasi quædam æqualitatis jure omnibus dominatur: ita animus unum Deum semper querere , & ad illum tendere debet : à quo si recedit , multitudo obruitur , quæ ipsum unum invenire non sinit . Hoc unum à nobis exigit Deus , quia hoc solum necessarium est . Cætera omnia si defint nihil necessarium deest , quandoquidem nec quod vivamus necessarium est . Quod si vita necessaria non est , multò minus quæ ad illam spéctant . Qui autem vivit necessitate officij , uni Deo vivere & servire debet . Ita enim in hoc mundo constituta est rationalis creatura , ut si convertatur ad bonum incommutabile , fiat beata , si ab eo avertatur , misera sit .

§. X. *Omnia ad Deum referenda esse pura intentione.*

**C**um omnes in hoc mundo peregrini simus , & viatores , qui ad patriam pergimus , necessarium nobis est indesinenter progredi , ac serìd disquirere quò tendamus , quo fine , & qua intentione operemur , & ad quid presentibus studiis spéctemus . Homo enim operatur propter finem , & quò purior est operantis intentio , eò perfectius est opus . Bonum opus intentio facit , intentionem dirigit fides . Impiorum & reproborum est illa vox . *Ergo fruamur bonis quæ sunt . Sap. 2. 6* nam Deo frui , creaturis uti debemus . Et omnes quidem creaturæ , quantum est ex parte Dei , semitæ sunt , & modi , quibus ad ipsum perducimur : malitia verò nostra impedimenta sunt , quibus ab eodem avertimur , & à scopo abducimur : quoniam , ut ait Sapiens , *Creatura Dei in odium factæ sunt , & in temptationem animabus hominum , & in muscipulam pedibus insipientium . Sap. 14. 11.* Insipientium , inquit , qui Deum ducem non sequuntur , qui ab ejus lumine mentis oculos avertunt . & decus creaturarum amantes , in umbra & obscuritate perambulant , eò languidiore s ad preferendam Dei lucem effecti , quo magis umbræ inhærent . Quod si omnes creaturæ ad hoc conditæ sunt , ut iis utamur ad finem ultimum consequendum

consequendum, avellenda ab illis affectio est, & ad Deum transferenda, qui finis est. Etenim finis appeti & amari debet sine fine & termino, quia ejus bonitas summa est & independens, illa vero quæ ad finem perducunt. eatenus amantur, quatenus ad ipsum finem consequendum juvant à quo eorum bonitas pendet. Christiani igitur hominis est quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid agit ad Deum referre, non ore dumtaxat, aut minus fervida spiritus applicatione, sed toto animi conatu, & affectu à rebus terrenis prorsus avulso: nam sæpe decipimur specie reati & relabimur in nos ipsos, nostra potius commoda, in ipsis etiam spiritualibus exercitationibus, quam Deum quærentes. Ideò Scriptura dicit arctam, & difficilem esse viam salutis, quia natura corrupta divinis rationibus ac puræ intentioni repugnat, & ad se omnia refert: cùm autem hæc repugnantia assiduo usu, & delectatione divinæ legis superata fuerit, lata sit via, levia mandata, jugum suave.

§. XI. *Vnde proveniat quod plerique à fine aberrant.*

**P**RÆCLARE & ex alta sua sapientia mortalium sapientissimus dixit, *Stultorum infinitus est numerus. Eccl. 1. 15.* Maxima enim, ac pene infinita hominum turba intolerabili ac perpetuis lacrymis deploranda insaniam transigit in nugis dies suos, carnem spiritui, tempus æternitati, terrena divinis præponens; donec miserabilis vitæ ætio in horribilem mortis tragœdiam desinit & in puncto ad inferna descendunt. Si de lite vincenda, de acquirenda possessione, aut de consequendâ dignitate sermo sit; nulli parcitur labori, exhaustur ærarium, evolvuntur libri, prisca monumenta excutiuntur. At cùm agitur de cœlesti regno, de sempiterna beatitudine adipiscenda, dormiunt omnes, nemo excitatur, nulla diligentia, nulla cura adhibetur. Pro his quæ corpus afficiunt & ledunt, cuiusmodi sunt famæ, sitis, frigus, æstus, dolores, infirmitates, sensa habemus infallibilia, ex quibus sit, ut omne studi-

*C. Bona Opusc. Spirit.*

M